





1. Bock f. Friderici Samuelis / diff. De Notione  
Immensitatis Dei amplificanda Com-  
templatione magnitudinis Mundi.  
Regionenti 1766. Autor J. C. Reicard.
2. Bode f. Christophorus Augustus / Protevan-  
gelium Generos Cap: 181 Vers: XV. Helm-  
stadt 1763.
3. Boehmer f. D. philip Adolph: / programma , de  
Christo filio Dominis, Halle 1765.
4. —— programma , addita est illustratio  
addita est: Illustratio loci 1 Corinthi 24; vers. 51.  
Halle 1766.
5. —— programma in Commentationem ad  
Illustrationem Actorum Apostolorum, 1766.
6. Buekner f. D. Andrei Elii: / programma in  
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrack f. Iesu: Tob: / programma paracleti  
Appellatione Spiritui Sancto tributa,  
Halle 1769.

INAUGURALIS DISPUTATIO

22

VIRI

S. REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI

DOMINI

IO. AVGVST. NOESELT

PROF. THEOLOG. ORDINARIJ IN HAC FRIDERICIANA

A D

IMPETRANDOS SVMLOS HONORES DOCTORIS S. S.

D. X. SEPTEMBR. HORIS SOLITIS ANTE ET POST MERIDIEM

PVBLCIE HABEBITVR.

EI, VT FAVENTES INTERSINT,

QVOS ROGARI MOS EST,

INVITAT

D. IOANNES SALOMO SEMLER

ORDIN. THEOLOG. EXDECANVS.

PROMOTOR LEGITIME CONSTITVTVS.

PRÆMISSA BREVI COMMENTATIONE

DE SAPIENTI, QVAM PAVLVS SECVTVS FVIT  
DOCTRINAE OECONOMIA.

HALAE CLOCCXVI.

ABUD. IO. GODOREDUM TRAMPiUM



## III. 100

ΕΠΙΦΕΩΝ ΗΓΑΒΩΝ ΟΙ

Album 1888-89 - 0000122-2





Breui oratione Paulus doctoris ecclesiastici vniuersam prouinciam, et SS. ingenuum iustumque usum sic descripsit, 2 Timothei III, 16, 17. πασα γεωφ θεοπνευσος, ὠφελιμος προς διδασκαλιαν, προς ἐλεγχον, προς ἐπαγορῳσιν, προς παιδειαν, την ἐν δικαιοσυνῃ, ην αρτιος ο τε θεος αιθρωπος, προς παν ἑργον αγαθον ἐξηγετισμενος. Alienum est a nostro consilio, studiosius excutere eius carminis omnem caussam (1); illud tantum obseruanus,

A 2

de

(1) Varie pars huius capituli prima solebat iam olim diuidi; την enim, quod est ante ὠφελιμος non in omnibus codicibus inueniebatur, itaque illud θεοπνευσος ad subiectum referebatur, quod postea plerique omnes solent practicato addere. Omitit autem illud ρω, vulgatus, *Tertullianus*, (siquidem clara est illa sententia de cultu Feminarum c. 3, legimus omnem scripturam aedificationi habilem diuinitus inspirari) auctor de duplice martyrio, inter cypricanicas scriptiones; auctor de XLIII. mansiōibus, inter Ambrosianas; *Hilarius*, seu *Ambroſiaſter*; *Clemens, alex.*, (citante eum *Wettichen*, ad quem illa latinorum addenda sunt) *Origenes*, Homil. 20, in Iesum Naue, π. γεωφ θεοπνευσος έστι, ὠφελιμος ιστι, ita et in *Rufini* translatione, tomo 2. edit. de la Rue, p. 444. inspirata, utilis est; *Homilia* 3 in librum *Judicium*, similiter. Omisit etiam *Syra* scriputra, quae per spiritum scripta est, ὠφελιμος) et *Copra* translatio; atque sic non raro etiam a posterioribus scriptoribus solet excitari. Videtur igitur θεοπνευσος antiquitus ad subiectum reiectum fuisse; sic et cardinalis *Perronus*, et montensis gallicae translationis

de libris V. T. hic praecipue sermonem esse; v. 15 enim dicitur, *Timo-*  
*theum iam ἀπὸ Βερβες ταὶ λέγα γενομένα* vñl percepisse, ταὶ διαμονα ἵψιν  
*συφίσαι,* εἰς σωτηρίαν. Cum vero homines, πονγοὶ καὶ γόντες, πλανώντες  
 alios, καὶ πλανώμενοι ip̄i, iam hoc tempore solerent ut variis libris, par-  
 tim suis, partim aliorum, quos, honoris causa, αποκενφες nominabant(2):  
 regulam quasi *Paulus* suggestit, qua facile ii libri distinguantur, quibus  
 deus auctor interuenit; illi scilicet, qui his saluberrimis commendantur  
 fructibus; qui frugifero argumento doctorem σοφίζοι, προς σωτηρίαν alio-  
 rum hominum; ἀρεταῖς adeo προς διδασκαλίαν &c. cum contra aliorum  
 librorum vñl soleant et ipsi falsi doctores, et eorum discipuli, προκοπτεῖν  
 ἐπι το χειρον, v. 13 et nihil auctoritatis a deo repetere possint. Videtur autem  
 hoc ipsum recte etiam transferri ad distinguendas librorum singulorum  
 partes praecipuas, quae non eadem omnes ratione et mensura istam utili-  
 tatem praestant; aliter enim futurarum, aliter praeteritarum rerum illae  
 descriptiones erudiunt, quae ad homines, vt humanam vitam viuunt, per-  
 tinent; aliter reprehensiones vitiiorum, quibus mens contaminata est; ali-  
 ter informatio ad virtutem et mentis iustam compositionem, hominum  
 perfectionem adiuuant. Pro vario iam hominum statu, pro temporum,  
 vt mutantur cum hominibus, discrimine, ταὶ ταὶ θεοὶ αὐθεωπον, αἴτιον esse  
 iubet *Paulus*, et viuuisse προς παν ἔργον αγαθὸν ἐξεπιστέμενον, dei nempe  
 ipsius studiosum et fidelem imitatorem; qui et earum omnium rerum, qui-  
 bus hominum haec huius vitae ratio adiuvari potest, vñl et ministerium  
 sapienti temporum et locorum mensura distinxit, et cognitionis humanae  
 salubris successus πολυμερῶς καὶ πολυτελῶς, vt tempora tulerunt, optime  
 procurauit. Hanc dei sapientissime administratam ad humanum genus  
 benignitatem *Paulus* tum saepius commemorat, tum *Ephes.* I, 9. 10. breui-  
 ter describit, ἐνδοκαν, εἰς (3) σινονομίαν ταὶ πληρωμάτος των καιρῶν. Neque  
 enim

Iationis auctores, aliqui sunt interpretati; vid. *Rich. Simon* nouvelles observations  
 chap. VI. Multo autem minus huius locisunt feriorum temporum inueniuntiores que-  
 stiones de inspiratione.

(2) Solet ad nos iam haec descriptio, ἀπογρόφει, secum ferre quasi hanc sententiam, ut  
 apocryphus liber exiguū pretii sit, si comparetur ad eos, quos canonicos appellant;  
 aliter autem olim habuit; *secreti* libri, quos nefas sit in manus quasi polluta venire, erant ἀπογρόφοι. Eorum usus inter grecos Iudeos præcipue valuit, iam ante  
 Christum natum; atque per *Alexandrinus* Iudeos eorum auctoritas ad alios quasi per  
 manus fuit tradita.

(3) *Alexandrinus codex*, vt clarior effet sententia: *κυρια τῷν*, latini olim non pauci, in  
 dispensatione, quasi ἦ legissent, nisi scribarum errore casus sextus pro quarto alicubi  
 locum innenit. *Ambrosia* tamen, repetit constructionem a prægrefto *κυρια*, inxta  
 placitum suum, quod proponuit in eo, ut (iuxta) dispensationem adimpletionis tem-  
 porum

enim eadem omnia omni tempore omnibus prodesse poterant; cum et pauca cognouisse olim aliis sufficeret, qui adhuc ~~rem~~, nondum adulta quali humani generis aetate, vinebant, quos vel minus copiosa intelligendi ratio ad suum felicitatis modum perduceret, qui tantam sacrefcentium virtutum scelerumque quasi familiam ipsi adhuc ignorabant (4). Itaque secuta demum per tempora opus fuit singularibus quib[us]dam et nouis salubris cognitionis adiumentis; temporis enim longius interuallum, quo habebitis istis se iugebantur, ut vitiorum multitudinem, ita et noua mentis adhibendae rudimenta, ex dei sapienti prouidentia, secum tulit, quibus ad melioris cognitionis successus opus fuit. Eam rem non solum V. T. historia facile illustrat; quae post ~~κονια~~ olim ~~φωνα~~, dei rebus Patriarcharum non uno ministerii genere admixti narrat ~~επιστρεψα~~, et prophetarum inde recenset liberalia et publica studia, hominibus cunctis, non solis Iudeis, destinata: sed etiam gentium aliarum historia comprobat, quibus deus sapientissime opportunitatem prospexit, reperiendorum virtutis melioris seminum, tirociniorumque ~~ηθων~~ partim minorum, partim nobiliorum; nec enim defuerunt iustitiae, temperantiae, pietatis in deum, in patriam, in parentes, frugisera exempla, ut eorum etiam, quae non in sensu cadunt, fides satis certa fieri atque ad alios tradi illa mitior utiliorque disciplina potuerit. Est autem ~~πνευ~~ in deum summa animi virtus, quod Philo elegantissime scripsit (5): μονῷ θεῷ, χωρὶς ἑτέρᾳ προσπαξαλήψεως οὐδὲν πιστεύει, διὰ τὴν πρός τοῦ Θητοῦ, ὡς συνεζητημένος συγγενεῖαν, facile enim κερνεσσι, δοξῇ, σέχῃ, φίλοις, ὑγείᾳ τε καὶ ξαμῆ σωματος, καὶ ἀλλοισ τολλοισ fidere solemus.

## A 3

Tandem,

porum etc. Rem breuiter descripsit Oecumenius: εἰς κρητην τοὺς ἰστιφιλη δουκον, quae iam locum haberet, cum tempus a Deo destinatum adesset. Itaque toties Paulus myrrarium esse scripsit (*την κανεντρυ την ανηγρα*), quod praegressa per secula non fuerit auditum; scilicet tam luculenter et aperte. Seruis enim domini consilia non patent, Ioh. 15, 15. Galat. 4, 1 seqq. Quod autem et *του* plura sciunt.

(4) Sic non pauci antiquiorum scriptorum e christianis rationem solent reddere, cuius hoc tempore Christus inter homines apparuerit.

(5) Allata sunt ista a nobis in paraphraesi epistola ad *Hebreos*, quam Baumgarteneri commentario adiuncimus, pag. 70. Ceterum utilissimam sua temporis operam navarunt, Clemens, alex. et ceteri huius alexandrinae scholae διδάχαι, at seculi quarti usque minus fausta initia, *Eusebius* etiam, in *præparatione Euangeliæ*, conquitis exterrum e scriptis frugiferis sententiis, quae ad locum *ηθων* pertinebant. Secuta per tempora quidem isto studio non videtur adeo opus esse, postquam reperta erant multa decreta quasi longe augustiora, quae ad rem christianam dicebantur maxime pertinere; sed et illud aliquis recte statuerit, non parum detrimentum ad religionem christianam accedisse, quod externae societati artius coniungendae dederunt plerique minus utilem operam: quibus tamen institutis atque aſſumentis *ηθων* illa atque interna religionis indoles ad omnes homines transferri amplius non poterat. Itaque videmus *catholicam* ecclesiam fere nominis tantum vano honore ex eo tempore uti,

Tandem, ὅτε ἡλθε το πληρωμα τε χρονε, Gal. IV, 4, cum coire iam plurimae opportunitates possent, quae λογικης et πνευματικης λατρεια propagationem, atque humanae societatis emendationem felicius adiuuabant: per Iesum, Christum, per Apostolos, per eorum successores, hoc demum tempore igitur saluberrima ad christianam illam ingenuam religiō nem perfectiorque informatio locum habuit. Sed nec hic ὀικουμενικη absuit prouida quasi in distribuenda doctrinae copia, et iusta parsimonia; ne pro funderetur temere sine fructu atque emolumento, quod aliis demum, tempore quodam interposito, longe vtilius dispertiendum erat. Haec oeconomia et in Christi, quam gessit, prouincia, et in Euangeliis, Apostolorumque scriptis, atque in priorum etiam seculorum scriptionibus, a nobis recte obseruanda est (6); multum enim facit, ad ferendam iustam sententiam, de isto, qui obtinuit olim, melioris religionis commendandae modo. Quod si vero plane negligitur, tum et isti, qui facilime se et suum sensum hominibus tot aliis praeferre et se tantum amare solent, reperire sibi videntur, cum Celsi, Porphyrio, Juliano, quae omnino contemnunt, despiciant, et vltro reprehendant; tum et nos ipsi facile aberra mus, vt iusto vehementius statuamus, eadem omnia omnibus eodem modo et scitu et factu esse necessaria; atque hac ratione eos vltro offendimus, qui et ipsi ex animo amplectuntur potiorem et ingenuam christianaे religio nis indolem, licet de his illis rebus, quae ad animi perfectionem aut nihil aut ad omnes certe non similiter conferunt, pro suo intelligendi eas res modo arbitrentur.

Eminet autem praecipue Pauli eximia fides atque ingenua in doc cendis hominibus integritas, qui hoc unum semper sapientissime fecutus est propositum, vt salubri illa Christi-doctrina homines ad veram animi emendationem et virtutis perfectionem perducerentur; facile autem et eorum siue malignitatem siue ignauiam perspicimus, qui non communem inter homines perfectionem et felicitatem, sed suam rem maxime quaerunt, aut neglecta sapienti sollertia, ad tempora non attendunt, nec, quod Paulus faciebat, omnibus omnia sunt, vt omnium, vt quidem locum varie habere potest, perfectio non impediatur. Atque si paulo diligentius

memor

(6) Christi illa saluberrima disciplina diligentissime ὀικουμενικη seruauit; hominibus enim danda erat opera, et quidem liberaliter; vi autem cogi hominum ingenia et pectora non poterant. Itaque fatentur etiam ex iis, quos patrum nomine solent appellare, non pauci temporibus datum fuisse ab Apostolis, non solum, quod circumcisionem permisérunt, (Isidorus Pelus. lib. 4. epist. 68. της σοφης οργανωσιος ἦ χρει, ) sed et hoc, quod rarius expresso nomine Dei Christum adficerunt; fidei enim erat hoc ingenuum et liberale exercitium; imperari statim cunctis non poterat.

memoria repetamus historiae ecclesiasticae viuensum quasi ambitum: multa quidem reperimus, quae ad externae aliquam religionis (7) societatem eiusque successus prosperos pertinent; sed paucos numero auctores suosoresque eius, quam Christus cum Apostolis praecepsit, liberalis religionis. Externam autem societatem Christus non praecepit instituerat, nec Apostoli eius imaginem talem την ἀληθινήν καὶ πνευματικήν λατρείαν descripserunt. E ciuib[us] romanis graecisque christiani homines informandi erant; quorum animis si ingenua illa doctrina recte fuit instillata, tam non opus fuerat externo capite, (ista enim improborum hominum vita magistratus censurae subest,) et satellitio proprio, quam non fuit tot mille hominibus, qui Christum, cum nobiscum viueret, amabant, et qui ter mille numero, Petri commonefactione, animi ingenuam mutationem ipsi decernebant. Nempe quam paucos recensent, numero tam multi scriptores ecclesiastici! quam paucos recensent, qui conuersi a consuetis vitiis et improbo stupore, animum aduertere et virtutum vitiorumque ipsa primordia in mente sua oriri didicerint, iusti externarum exercitationum arbitri? (8) Atqui haec est christiana religionis arx; constitit enim in dei, quam Christus sufficit, cognitione, ἐπιπνευματικαὶ ἀληθεῖαι, hanc Paulus studioſissime procurauit; aequissimus, facilius aliorum, quae quis a Iudeis, Graecisque antea fine

(7) Nempe paulo post Apostolorum ex hac vita discessum res christiana fere in detersus abiit; melior religionis indoles a paucioribus seruata fuit, qui tamen vix inuenerunt commendatissimae virtutis spectatores, tantum abest ut iis praecones contigerint et laudatores. *Martyrum* nomina, nescio quo fato, obfervarunt omnia; licet nec *Iohannis*, nec *Iacobi*, nec *Stephani* caedes apostoli studiosus collauderint, nec osibus colligendis tanta cura impensa fuerit ab his eius temporis christianis. Atque, quod mirum est, placet et hodie plerisque martyrum gloriabunda historiæ, licet incertissima sit narratio, atque incerta martyrii causa atque indoles. Hinc autem funesta illa religioni ingenua ossiflegia, superstitionum nouarum ferax seminarium; hinc vigiliae, et reliquiae; hinc sanctorum continua sed torporis illiberalis plena commemoratio. Inde episcoporum ἴστρεχοι atque διονύσοι, et longum, quo Clerus constabat, satellitum, leutici ministerii sacrificiique restituendi parum christiana sedulitas; his igitur caeremoniis sacra et sancta tandem ita accesit auctoritas, ut nemini iam christiano esse liceret, ut maxime Christi et Apostolorum exempla virtutemque ingenuam referret, nisi his maxime uti vellet et adiumentis et mysteriis, si placet, augnissioris religionis.

(8) Fuerint suum secuti consilium atque ingenium historici istorum temporum scriptores, qui *haereticorum*, *martyrum*, *miraculorumque* si non suppeditabant loci, christianorum rerum argumentum, quod perferberent, fere non habebant. His autem rebus et nos, quasi eximiis atque frugiferis, operam hodie dare, minus conuenit; istorum temporum fuerunt ista, ut solent interpretari, decora, commoda, adiumenta; nostræ autem aetati tam nihil omnino prosunt, ut impedimentum christiana religionis virtutisque καρδιῶν oporteat eum atripere pro occasione, qui amare haec unice atque requirere velit.

sine prauo suo consilio, imbibera, arbiter; facilius enim et iustius, si  
mentis depravatio et peruersitas abest, intelligendi varietas mutuo christia-  
nae virtutis exercitio, aut emendatur sensim, aut toleratur, quam omissa  
animi emendatione, aduersus haereses continua, et atrox et inutilis, et in-  
iusta, habetur quaestio. Vos non ita Christum didicistis Ephes. IV, 20 seqq.

Breuitate iam repetemus quaedam quasi documenta, eius, qua *Paulus* isto tempore usus est, docendi oeconomiae. Atque hoc loco potest  
primum illud recenseri, quod vniuerse euangelii ab ipso praedicandi rudi-  
menta sapienter ita descripsit, ut diligenter caueret aliorum atrocem offen-  
sionem. Nempe poterat, si quis aliis, quod et ipse aliquoties, cum opus  
esset, commemorat, sua insigni ad nouos auditores auctoritate vti, et vel  
centum mysteriis, si mysteria praeципue commendabat, fidem omnino  
polscere; anathemata dicere, si quis, quam ipse, aliter mente conciperet  
alicuius doctrinae λογον, rationem, et connexum. Sed alia via se ingredi  
proficitur, 1 Cor. 9, 19 seqq. Ita cum inter *Galatas* primum religionis  
christianae fundamenta poneret, οἰκονομίας *Galatas* docuit, interposito de-  
mum tempore quodam ἀνθεύων, cap. IV, 13-16, nempe, cura iam peri-  
culum christianae virtutis a Iudaismo imminentem, et liberalis plurius homi-  
num perfectio exteriarum caerimoniarum inepta appendice obruenda esset.  
Idem tamen *Paulus* adeo sibi et suo honori non studuit sed τη σωτηρίᾳ alio-  
rum, ut Hierosolymis ipse cesserit προς ὁρα τη ὑποταγή, Gal. 2, 5 (9),  
ut ibi illa temporaria lex perferretur, de seruandis externae vitae limitibus  
quibusdam, ne Iudei a Christianis omnino atque atrocius abhorrent.  
Aliis igitur, quorum in opinando atque intelligendo imbecillitas aliter vinci  
non poterat, lubentissime et humanissime, summae rei causa, inseruit;  
non postulauit, ut suam omnes sententiam sequerentur. Itaque et *Theessa-  
lonicensium* ipse commemorat ισεγματα της πάτερος, quae velit, ut oppor-  
tuue fieri posset, καταρτισα, 1 Thessal. 3, 10. De *Corinthiis* etiam ipse  
narrat, γαλα ἵπας ἐποιει, καὶ εἰ Βερα. Deinde *Paulus* non spernit quasi  
minus christianum atque deo, et hac omni causa indignum ἐγένεται, istam  
interpretandae SS. V. T. consuetudinem, quae allegoria constat; hoc  
enim interpretandi genus inter graecos Iudeos isto tempore praecepit et  
maxime valebat, ex *Alexandrina* schola propagatum, non sine dei numine  
atque auspicio, qui ista quasi παράδογμα exercititia, quibus constabat an-  
tiquissi-

(9) Omisa ista negatione, ἄλλο, statuimus a Paulo ibi scriptum fuisse; de qua re copio-  
lius eginus in additamentis ad *Baumgartenii* commentarium in minores *Pauli* aliquot  
epistolas, qui commodum e prelo exhibet. Hanc sententiam et *Millius* et illustris *Mi-  
chalis* recte secuti sunt, quam *Nicolaus Zegerus* iam seculo 16 praefuerat.

tiquissimum cognitionis melioris ministerium, sapienter hoc tempore ad Iudeos transfluerat. De hac causa vel unus Philo locupletissimus testis haberi potest, partim in commentario de vita contemplativa, partim suis ipsius scriptioribus, quae partem historiam librorum Mosis διέποντας, εἰς ἀνηργίας, solent luculenter interpretari; ut iam non opus sit Aristobulus et aliorum commemorare similes ἐξηγοῦσι, aut Pharisaorum ἀνηβεῖσι, quam Iosephus saepius collaudat. Σακὰ, et ψυχὴ seu πνεύμα solent isti auctores in lege et historiis distinguere, quemadmodum interiorē et exteriorē hominem iam Plato intelligendo se invenit (10). Tum et illud non est negligendum, ναρ' οἰκουμένην Paulum saepe sententias afferre ex illis libris, qui solebant inde ab aliquo tempore inter Iudeos Graecos celebrari; nempe si utiles essent istae sententiae, ad διάσωτας cet. ob insitum ingenium, ad deum referendae erant veritatis auctorem; si animi iustum sensum transferebant ad hanc rem, quam Paulus agebat, cur non iis ad istos homines uteretur, et si in libri cetera serie fabulis et μυθοῖς quibusdam inuolutae erant? Ita Samaritani exemplum Christus collaudavit, quod virtutis ingenuam indolem exprimebat, et si Samaritani ab opinionum varietate Iudeis publice adeo exosi erant. Eius autem generis ista non obscura exempla adserre placet (11). In Thessal. 2, 16 ἡ φθόνος ἐπ' αὐτοὺς οὐδὲν εἰς τέλος, his verbis recitatur in Testamento Levi, inter XII. testamentia Patriarcharum, §. 6, sive Gal. 5, 6, et cap. 6, 15 ἡ τε περιφορή τι ἐστι, ἡ τε ἀργοθυσία, αἷλλα κανὴ κτισις, est sententia, e libro ἀποκρεψώ, quem Mosis ἀποκαλύψιν dixerunt; sicut notauit Photius, ad *Amphilochium*, quaest. 183. Georgius Syncellus, et scholiorum auctor, quae extant in margine duorum graecorum codicum epistolae ad *Galatas*. Nomina ista, Iannes et Mambres (12), 2 Timoth. 3, 8, dicit Origenes existare in libro ἀποκρύψω, cui

(10) Haec interpretandi ratio non magis contra Iudeos ipsos quam aduersus eos etiam solebat postea adhiberi, qui Hebreorum libros sacros, quasi deo auctore ob argumenti διενεγκούσι indignos rejeciebant; itaque, quod *Origenes* aliquoties commemorat, hanc allegoricā intelligendi viam *Marcion* inter novos christianos propagari noluit: quia christiana religionis ingenium a Iudaica ista omnino abhorreat.

(11) Nempe e Pauli tantum epistolis colligimus; itaque ista iam omittimus, quae ad scriptiones alias pertinent; e. c. in *Iudee* epistola, quae de angelis recitantur, v. 6. 9. 14. ex libro *Enochi* defumta; quod, post *Tertullianum*, vel oculis nostris videmus, si fragmenta libri ea legimus, quae a *Georgio Syncello*, auctore chronicī *alexandrinī*, alias scriptoribus seruata sunt; quae iam e *Fabricii* codice V. T. pseudepigrapho facile possunt repeti. Ad *apocalypsem* autem non parum confert *Estrae* liber quartus etc.

(12) Vid. *Fabricii* codex V. T. pseudepigr. tomo I. p. 813. seqq. *Abulpharajus* scribit: *Paulum* defumisse ex *Aristamini*; nomen auctoris haud dubie corruptum; *Aristae* de Iudeis olim scriptiones ferri solebant; ex eo forte putauit hinc *Paulum* ista sumisse.

cui titulus *Iannes et Mambres liber.* Illud autem carmen, 1 Cor. 2, 9,  
quod oculus non vidit, et auris non audiuit, reperit idem *Origenes* in secre-  
tis (ἀποκρυφοῖς) Eliae; atque Ephes. 5, 14, *surge, qui dormis &c.* ex apo-  
crypho quodam libro quidam recentent, sive *Elae*, ut *Epiphanius* de-  
signat; sive *Ieremiae*, ut auctor scholii in codice MSto graeco seculi IX,  
quod *Montfauconius* in diario italicico descripsit (13.) Tandem et illud ob-  
seruamus, Paulum hic ibi ἐνοικεῖς atque λογοῖς vt in rem suam, sine de-  
finitione; quibus Iudeorum ista pars iam adsueta fuerat e. c. Legis  
promulgationem διὰ γγελῶν factam esse; οὐ διὰ γγελῶν λαλῆσθε λόγος, dia-  
ταγεῖς διὰ γγελῶν, qui angeli fuerint ad hoc usque tempus ἐπιτρέποντες  
οἰκονομούσι, quorum sub auctoritate et potestate Iudei fuerint, usque ad  
Christi ἀπολογίαν (14); iam vero, post Christum, non opus esse, ut  
quis ultra ab iis legis custodibus metuat; legem, cuius vindices timeban-  
tur, iam neminem corum obligare, qui Christum spei suae locupletissi-  
mum auctorem sequantur. Ad hanc οἰκονομίαν possint non sine ratione et  
illa referri, quae 1 Thessal. 4, 13 seqq. 2 Thessal. 2, 13 seqq. existant; fuerat  
certe inter Iudeos graecos perulgata ista quasi sacra sententia, (ex con-  
ficta illa translationis των LXX sacra historia,) de instante, sub finem sex  
mille annorum mundi, ingenti orbis terrarum mutatione, abolenda omni  
idolatria, et regno Messiae in hac terra per mille annos. Ex libris certe  
apocryphis haec opinio propagari solebat; e prophetia *Enochi* praecepit,  
quae angelorum, qui reuelarint, auctoritatem (libris mosaicis non infe-  
riorem,) ita ad alios transmisit, ut et plerique quatuor per secula christiani-

in

(13) *Fabric.* ibid. pag. 1072. et 1105.

(14) Neglecta ista οἰκονομία, quae ad Iudeorum ἐνοικεῖς respexit, secuti iam christiani  
plerique omnes priorum seculorum scriptores, Christi omnem fere prouinciam ad  
malos spiritus et mortis imperium destinarunt: ut humana specie eos falleret, atque  
alliceret quasi diabolum, et mortem, et auderet et Christum aggredi hocque fec-  
lere et flagirio ius suum in peccatores homines perderet; hac autem ratione homines  
erippos et mortis potestate, ius ἀδικίας recipiebat. *Cyrillus* adeo et *Theodoreetus* in  
auctario operum per *Io. Garnierium*, p. 50. *Cyrillus* in epistola, quae est initium των  
πράξεων της Εὐθύνης οὐαδε, p. 9. videatur et p. 157. 159. etc. Plura hic ibi colle-  
gimus in προτετάχειν ad *Theolog. Polemicam Bauingartenianam*. *Ambroſiaſter* saepissi-  
me et clarissime, atque ut verbo dicam, plerique omnes seculorum 4. scriptores; e  
quibus non pauci aut mediocris loci his verbis dicunt, Christum se (corpus humanum)  
diabolo obtulisse, licet ludicram fere pugnam informent. Huius autem generis et  
alia succederunt patrum decretta, quae fas non fuit omnino consecrare: quibus o-  
mnis fere sanæ religionis vis ad posteros periret: de martyrum apud deum intercessio-  
ne pro viventibus, de oblatione et tandem sacrificio in altari pro mortuis et viventi-  
bus etc. Tempori ista danda erant, sed non ad homines omnes, quasi *mysteria* et  
casta sacra, transmitti debebant.

in eadem sententia fuerint, vigiliasque et ieiunia multi hoc nomine seruant, quia instaret inopiatis dies Christi. Sed et alii in locis (15) huius generis ἐνοραὶ occurrent, quae ad oeconomiam docendi, non ad salubrem et frugiferam veritatem καθόλικην pertinent.

Sed sufficiunt ista nostro consilio; ut in memoriam reuocemus omnibus, qui similem ad nostrae aetatis homines doctrinae christianaे salubriter propagandaе prouinciam gerunt, quo studio, qua cura, sollertia et sapientia egerint hanc caussam et Apostoli et eorum ingenui (16) successores: quorum frugiferum exemplum et nos imitari conuenit in procurandis auertendisque et vitandis iis, quae ad nostram hanc aetatem aut adiumenti, aut impedimenti iam habent ingenium. Atque hanc in rem deus feliciter cedere in Fridericiana nostra iubeat honestas et publicas ceremonias, quas inter Scripturae sacrae doctoris solempne nomen impertendum est Viro summe Reuerendo, Amplissimo, doctissimo, Io. Aug. Nüsselt, Theologiae Professori bene merito, collegae coniunctissimo! Cuius, et si

## B 2

non

(15) Eum in locum referri possunt descriptiones istae, quae spirituum varios ordines videntur recensere, θεοὺς, μυρτῆτας, ἄρχας, ἀρχαῖς, ἄρχων τὰ νομικά τύποι, ἄρχων τὰ ἀρχῶν, τὰ πνευμάτων, τὰ νῦν ἐνεγκυτά etc. quod postremum carmen Cosmas Indicopleustes non male sic illustrat, ut τοῦ referat ad hoc, quod amissæ priori ista ἐρχεται, et a legitimo ministerio dejectus spiritus ille iam homines agitet et ad peccatum vitæ ratione trahat, lib. 2. topograph. Christian. p. 150. edit. Montfaucon. Iudeorum certe multis opinionebus locum de angelis eximie amplificatum, et prouinciam Christi a non paucis sic descripsi solitam fuisse, ut sibi quasi rursus orbis terrarum dominium vindicet, inter eruditiores satis constat. Itaque et Origenes historias de demoniacis solebat ὀνομασίας dicere. Has igitur res nostra opus est ut inter augusta decreta christiana referamus.

(16) Ingenuos Apostolorum imitatores designauimus; nec enim ignoramus vaferos istos mendaciorum et fraudam econponimus, qui iam inde a primo seculo fictis et falsis multis scriptoribus, quas vel Christi, Pavé, aliquorūque nominibus commendare ausi sunt, non diuinam inter homines mentem et virtutem liberalē, sed domestica studia atque instituta promotuā inerunt. Atque non paucos etiam posteriorum temporum scriptores auctoresque ista fere continua pestis afflant; qui ne auctoritas et vetustatis granitas suis suorumque decessit decretis, (de rebus, quae ex scriptura sacra omnino definiiri non poterant;) multorum nominum, quorum sicut eximius honor, abusi sunt splendore. Scimus autem ei rei iam hic suum locum non esse; itaque id tantum admonemus, Athanasiū nomine multa a graeculis conficta esse, quibus vel adhuc eruditī folent quasi integerrimis uti scriptoribus. Quis enim non miretur, Montfauconum in collectione noua, tomo 2, laetabundum edidisse ἀρχὸν μεγάλους μεγάλα, Athanasiū, si placet, opusculum; cum, si quis non imperitus legat, statim reperiat, esse graeculi senioris inceptam rhapsodiā; cuius auctor adeo fuit negligens, ut non animadverterit, eadem omnia bis se exscriptisse; conf. e. c. c. 19. πορευωντας etc. cum c. 28. sub finem p. 14. Alia multa sunt ex oratione tertia in Athanasiō, (quidem et istae placent,) et ex sermone, de incarnatione verbi, tomo I. operum Athanasi.

non est obscurum vel apud exteris nomine, lubenter tamen laudabiliter  
gestae vitae breuem recensionem, quam ipse scripsit, legent et domestici  
nostris, academiae amatissimi ciues, et exteri, praeclarri Viri, quos iure  
suo non paucos habet, fautores et amici.

**I**O. AVGUSTVS NOESSELT, Halensis, natus sum die II. Maii anno huius saeculi  
XXXIII, matre REGINA ELISABETHA SCHVLTZIA, adhucdum per Dei  
gratiam superstite, patre IO. AVGUSTO, mercatore non ignobili, viro, cuius pru-  
dentia, probitas ac liberale publici commodi studium, etiam post mortem laudatur a  
bonis ciubus, qui cum cognoverunt. Qui ut erat ipse verae probitatis aequa amans  
ac simulatae religioni inimicissimus, et misericordia delectabatur literis atque philosophia  
in omni genere vitae, non modo primum me tradidit magistris, quos nancisci posset,  
optimis, sed etiam, quoad vacuuus a negotiis erat, omnes ita mecum sermones institue-  
bat, ut narrando, percunctando, iudicio etiam suo interponendo, et ingenium acuteret  
meum et animum vitamque ad veritatis atque honestatis amorem fingeret. Nam perpe-  
tuo haec ingerebat mihi: non esse temere assentendum nec quidquam probandum, nisi  
quod esset recte versatum in utramque partem; numquam sine cognita causa animam  
vel sententiam aliorum protinus condemnandam, praefertim in rebus, quae ad religio-  
nem vel virtutem pertinuerent; omnes pariter amandos, nec propter turpitudinem incri-  
aut metus cuiusdam vanitatem, veritatis, fidei, iustitiae prodendam casuam; recte fa-  
ciendum esse et constanter, cetera committenda Deo, qui numquam suis sit defuturus.  
His aliisque admonitionibus assiduum adiungebat eamque quotidianam exercitationem in  
legenda sacra scriptura, cuius sensum et usum suo modo questionibus demonstrabat.  
Quae dici non potest quam mihi profuerint, ut nisi laudassem incundissimam earum re-  
rum memoriam, viderer mihi etiam pietati in Deum parentemque parum satis fecisse.  
Posthaec deduxus in scholam orphionotrophei, quae erat praeclaris magistris ornata,  
ibi sex annos exegi in studiis bonarum literarum. Atqui me tum nihil magis tenetebat  
quam amor historiae et antiquitatis vniuersitae, ita ut paene constituerem eo studia mea  
omnia conferre, praefertim cum ductus illo amore et cupiditate cognoscendorum ex  
omni genere librorum, coepissim perlustrare quidquid veniebat in manus pertinens ad  
historiam librorum et progressionum cultustis disciplinae. Quod ut me multum adiu-  
vit postea, ut valde mirer plerosque ita negligentes esse huius vel artis vel studii:

men



men saepe me oportuit poenas dare imprudentiae. Nam quod sit iis qui in malos aut negligentes magistros incident, hoc mihi quoque accidit, ut, dum sequor vagas laudes librorum praesertim ab auctorum suorum celebritate ducas, quibus nihil potest vanus esse, magnam temporis iacturam facerem miserabilibus aut valde ieiunis libris legendis. Omnino ab hac parte olim admodum mihi defuerunt bona consilia; quibus si adiunxerentur adolescentes vel in scholis vel statim a principio academicae vitae, ut a peritis discerent, qui libri sint quouis in genere optimi, quod pretium eius suis et quasi character in utramque partem, itemque quomodo sit cuique, ad facultates suas et profectus accommodare instituendus literarum cursus; o! quam possent plus et longe melius proficere quam nunc fieri videmus. Atque ego tum temporis coeparam quoque tractare scriptores veteres graecos et latinos, quibus valde delectabar, quamquam, ut sumus pueri, magis haeretabam in singulorum verborum elegantias et conquirendis moribus veterum ac rebus gestis. Verum tamen diuturna bonorum scriptorum lectio, in primisque admirabilis illa cogitandi scribendi subtilitas, quam in CICERO admirantur omnes qui iudicare his de rebus possunt, atque atrea praefatio, quam CICERONI suo ad STIGLITIVM praemissit ERNESTIVS V. V., mox me ab errore liberavit, atque docuit me aliud maius quaerere in istis thesauris. Nam profecto valde horum bonorum imperiti sunt aut ad ea sentienda habentes, qui non animaduertunt, quanta in his, praesertim in CICERO, disciplina sit non modo bene scribendi (etsi vix unquam fuit, qui illam orationis Tullianae, ut ita dicam, frugalitatem exprecesserit, quam plerique ne vident quidem) sed etiam subtiliter cogitandi acuendique ingenii, imbundi denique nobilissimis sententiis animi et quasi pectoris ad eximiam virtutis altitudinem roborandi; ut me vehementer poeniteat nouitiae barbarici, quae in scholis, pro talibus magistris illiberales artifices substituit. Sed ad me reuertar.

Defatus igitur ad academiam, anno huius facili quinquagesimo hunc arbitrabar cursum tenere debere, ut audiorem optimam quemque, qui tum apud nos literas profitebatur eas, quas mihi defegisset, nec alienorum liborum confusa lectione ingenium obtunderem. Itaque in vniuersa Theologia BAVMGARTENIVM et manuoper TANgY, KNAFFIVM et FREYLINGHVSIVM VV. VV., in philologicis disciplinis STIEBRITZIVM, V. Cel. qui hoc tempore summa cum laude academiae gubernaculo tenet, Ven. MICHAELIS et IO. SIMONEM V. V., in Historia WIDEBVRGIVM

in philosophia denique et matheſi MEIERVM et WEBERV M, V.V. Cel. praecipue ſequabar. Atque cum valde mouerer defiderio humaniorum literarum, quarum tum vix erat in academia opportunitas, iis priuato studio addiſcendis, quod reliquum erat a lectionum repetitione tempus fere tribuebam. Conciliabat etiam mihi studiorum ſimilitudo quosdam humaniſimos adolescentes, quibuscum et publice apud praeceptores et priuatum disputando ſcribendoque ingenium lingua nque exercebam; quas exercitationes, fateor, mihi plurimum adiumenti attuliffe.

Finitis his academicis studiis diputatione, quam praefide BAVM GARTENIO, defendebam per occationem ſacrorum, quae tum in memoriam pacis religioſae celebra-bantur, viſum fuit patri multis de cauſis, valetudine etiam valde labefactata, vt alias terras, academias in primis, inuiferem; quare ſub finem A. LV. plerasque Germaniae partes, Heluetiam, Galliam denique coepi peregrare. Quo in itinere quam fuerim liberalem Dei curam infinitis expertus modis, longum est dicere; hoc unum cum veriſimo pietatis ſenſu proſteor, vbiq; mihi contigisse non opinanti incredibilem virorum doctorum humanitatem, qui et ipſi apud ſe res et conſilia mea adiuarent, et aliorum mihi literis ſuis liberaliter benevolentiam conciliarent; in quibus si venerandos et celeberrimos viros, SEMLERVM noſtrum, DIETELMAIERVM, RIDERERV M, WILLIV M, Altorfinoſ, VRLSPERGERVM, COTTAM, ALTMANNVM Bernatent *τὸν μακαρίτην*, et STRASBURGERVM, Eccleſiae noſtræ apud Geneuenſes Paſtorem, tanquam praecipue de me meritos nominauerim, parum fecerim ad grati animi ſignificationem, ſed dabo operam, vt eos, haec in me contuliffe, numquam poe-niteat. Ac erat animus paullo diuſius commorandi Parifiis, vbi vix cooperam locu-pletiſsimis bibliothecis et virorum quorundam doctorum conſuetudine vti, cum triste apud nos exortum bellum parentes valde ſollicitos cogere reditum vrgere meum, quod impe-diuſit etiam, quo minus mihi paterer AGESNERI humanitate perſuadere, vt ſtudiorum cauſa apud Gottingenſes manerem. Itaque mense Nouembri A. LVI. in patriam redii et ſequente anno ab Ampliſſimo Collegio Philoſophorum petii ius docendarum bonarum literarum, quo impetrato institui ſcholas ad liberales artes et interpretationem ſacrae ſcripturae: quod poſtremum conſilium eiusque fructus ſemper habui et habebo in ſingularibus beneficiis, qui-bus me Deus ornauit, id quod facile agnoſcent, qui viderint, quem verum ſit illud: Theo-logum in ſcripturis naſci oportere. Nam cum viſum eſſet Deo, vt ante hos ſex annos per

REGEM

REGEM CLEMENTISSIMVM ad Theologiam in hac acadēmia tradendam vocare, cui  
hos duo ante annos accessit cooptatio in Collegium Theologorum Halensium: pulchre in-  
tellexi: non casu aliquo factum esse, vt ita praepararer ad hanc disciplinam suspiciendam;  
si quidem quotidie magis sentio, quanta vis sit non modo in his ipsis humanitatis literis sed  
etiam in curiosa illorum veterum Graecorum Romanorumque scriptorū lectiōne ad le-  
gitimam Scripturā S. interpretationem; ad quam quae perspexerim in primis facere,  
ceteraque studiorum consilia et quasi ansas, possem hic narrare literarum studiosis forte  
aliquantum profutura, nisi me impedirent huius narrationis angustiae. Hoc quidem  
vere dico et saepe sum professus, vt hanc unam rectam Theologiam esse arbitror,  
quae e sacris scripturis hausta ad animi vitaeque probitatem transferatur: numquam  
me posse sine incundissimo animi mei sensu hoc diuinum beneficium mente recolere, quod  
et illa via me ad Theologiam vel discendam vel docendam duxerit et me mature docu-  
erit, quam sint in vera probitate animi omnia ad bene beateque viuendum. Quem  
michi animum seruet Deus O. M., vt nunquam vixisse poeniteat, sed tanquam ἐγένετος  
ἀνθραίκων reperiatur tempore eo, quo veniet Dominus noster Iesus Christus ad mer-  
cedem iis dandam, qui perenni studio ad beatam immortalitatem contendenterunt.

De libellis meis vix habeo quid dicam; sed, si tanti est istos commemorasse,  
vt confutudini obsequar, hi fere sunt:

1. Admiranda prouidentiae diuinae vestigia in pace Passaniensi 1552 et Augustana  
1555. disp. secularis praefide Baumgartenio, 1755.
2. de Magistro Equitum, ex antiquitate Romana, ad C. A. Struensee V. C. diff.  
1757.
3. disp. III. de vera aetate scriptorum Tertulliani 1757.
4. Ad locum Io. VII, 37-39. progr. rec. 1766.
5. Interpretatio grammatica capituli IX. epist. Pauli ad Romanos rec. 1765.
6. Umschreibung der beyden Briefe Pauli an die Corinthisier, quam adiunxi Baum-  
gartenii commentario in utramque illam epistolam.
7. de iudicio miraeulorum caute ab interprete instituendo diff. A. et R. I. G. Stellwa-  
gen Frif. Orient. 1762.
8. de discernenda propria et tropica distinctione diff. A. R. E. F. Lüdeke Magdeb. 1762.
9. de Catenis Patrum in N. T. obs. Auft. I. S. F. Augustin. Beroliniate. 1762.

10. Pax



10. Pax inter homines restituta tamquam fructus mortis I. C. progr. 1763.  
 11. Vindiciae loci de iustificatione Rom. III, 21-28. A. R. C. F. Kahlo Gryphiber-  
 gensi, 1765.  
 12. Vertheidigung der Wahrheit und Göttlichkeit der christl. Religion, 1766.  
 13. De fide tamquam fonte B. Opp. et verae virtutis diff. A. R. C. W Reichhelmo,  
 Vcaromarchico, 1766.

Iam cum ceteris legitime peractis, ad capessendos a Viro dignissimo honores theologicos, nihil desit, quam publica solemnitas, atque post fausta omnia, quae omnino implenda accepit, augustalis formulae auctoritas: constitutus est, ad rite peragendam eam caerimoniam dies 10. Septembris. Itaque, Magnificum dominum Prorectorem, Perillustrem academiae directorem, reliquumque spectatissimum academie senatum, atque si fas est, serenissimum Principem *Anhaltinum*, aliosque nostrae rei fautores, tam ex Heroum liberali ordine, quam huius urbis magistratu dignissimo, illustrissimos etiam comites, generosissimos Barones nobilesque, cunctosque in Fridericiana commitentes ornatisimos, vt ius fas quemque est, studiosissime rogamus: vt interesse et fauere academicæ velint caerimoniae; et communia suscipere vota, vt ea res publica et priuata vilitate, ad nos posterisque, non caret. Feliciter! P. P. in regia Fridericiana d. 9. Sept. 1766.





78 L 1708



Sb.

Hil. 100.





INAUGURALIS DISPUTATIO

VIRI

S. REVERENDI, EXCELENTISSIMI, AMPLISSIMI

DOMINI

IO. AVGUST. NOESSELT

PROF. THEOLOG. ORDINARI IN HAC FRIDERICIANA

A.D.

IMPETRANDOS SVMLOS HONORES DOCTORIS S. S.

D. X. SEPTEMBR. HORIS SOLITIS ANTE ET POST MERIDIEM

PUBLICE HABEBITVR.

EI, VT FAVENTES INTERSINT,

QVOS ROGARI MOS EST,

INVITAT

D. IOANNES SALOMO SEMLER

ORDIN. THEOLOG. EXDECANVS.

PROMOTOR LEGITIME CONSTITUTVS.

PRAEMISSA BREVI COMMENTATIONE

DE SAPIENTI, QVAM PAVLVS SECVTVS FVIT  
DOCTRINAE OECONOMIA.

HALAE CLOCCCLXVI.

ABVD IO. GODOREDUM TRAMPIVM